

(3) *Miscetur tamen gratiâ seu amabili corripientis A modestiâ, &c.*

(4) *Iustitiæ sit studiosus, qui vult emendare alios: Sirac. XVIII, 21. Interea à puero etiam se moneri patitur sapiens, si à vitâ aberraverit verâ.*

(5) *Etiâ magnates (ut h. l. David) eximere se nequeunt à correptione.*

(6) *Corripiat non tantum Nathan, sed & fidelis quisque proximus.*

(7) *Fragrantiam hanc balsami admittens, cerebri percipiet sanationem corroboracionemque egregiam.*

(8) *Precatio nostra continuanda semper contra inimicorum dolum atque violentiam.*

USUS E VERSU VI.

[1] *Imprecatio quousque licita, dictum aliquoties, confer Psalm. CXXXIX, 20. CXL, 10.*

[2] *Hic prophetica potius traditur predictio, quam imprecatio.*

[3] *Antesignani in impietate, seu pravorum Judices, supplicio corripientur atroci, quale deturbatio à petrâ præruptâ; sic hi ab honorum culmine, &c.*

[4] *Audiendi bonorum sermones tempestivè: aliorum damnò discito sapere.*

[5] *Jucunditas sermonum præcipitur, cum exemplaribus aliorum pœnis mens mundanorum prius præparatur.*

USUS E VERSU VII.

(1) *Miseria fidelium quandoque pervenit ad culmen,*

videtur de iisdem actum; (Thren. III, 54.) ossa prope sepulchrum dispersa jacent.

(2) *Neque tamen sic desperandum, vi visionis Ezech. XXXVII, 1. seqq.*

(3) *Satanae mancipia, præsertim militaria, sanguinem instar aque, carnem atque ossa instar lignorum habent: Psalm. LXXIX, 3.*

USUS E VERSU VIII.

[1] *Oculi mentis nostra non caduca, sed Creatorem omnium indagare debent, & unice respicere: Psal. CXXI, 1. 2. CXXIII, 2. XXXII, 8. 2. Par. XX, 12.*

[2] *Confidendum usque in Deo: vid. præc. I.*

[3] *A Deo impetranda contra nuditatem tegumenta salutaria: Apoc. III, 17. 18. Jes. LXI, 10.*

USUS E VERSU IX.

[1] *Laquei insidiæque operariorum iniquitatis sunt callidissima, quibus simplices anima superandis hauc sufficiunt: Matth. X, 16.*

[2] *Securisimè hic committimus nos Custodi supremo, Deo nostro.*

USUS E VERSU X.

[1] *Pœnâ talionis ut plurimum corripuntur impii: incidunt in foveas aliis paratas: Psalm. VII, 16.*

[2] *Pii prætereunt foveas sine damnò; servantur Dei sapientiâ gratiâque indemnes. Job. V, 19.*

PSALMI CXLII. DISPOSITIO.

Ejulatus afflicti. Oppressus oro, libera.

E St hic post titulum v. 1. I. precationis descriptio: (1) *voce meâ ad Deum vociferor: (2) flebiliter imploro gratiam: v. 2. (3) effundo coram te meditationes seu curas meas: (4) annuncio angustiam meam: v. 3.*

II. Miseriæ recensio: (1) *spiritus meus deliquium patitur: (2) laquei sunt mihi positi in vita, qua incedo; quod tu Deus nosti: v. 4. (3) nemo me agnoscit: (4) refugium deest: (5) nemo de vita mea curam gerit: v. 5.*

III. Fiduciæ in Deum professio: (1) *clamo ad te Domine: (2) dixi, te esse perfugium meum; inò portionem meam in terra viventium: v. 6.*

IV. Repetita oratio: (1) *audi clamorem meum: ratio: valde enim sum exhaustus: (2) eripe me à persecutoribus meis, ratio: prævaluerunt mihi: v. 7. (3) educ animam meam è clausura: consequens, (a) nomen tuum celebrabo, (b) justi me cingent, cum mihi benefeceris; v. 8.*

PSALMUS CXLII.

EXPLICATIO VERSUS I.

וְצַעַקְתִּי *Informans:*) scilicet cantio, vel, ode didascalica. vide Psalm. XXXII, 1.

כַּדְוִיָּה *cum esset in spelunca:*) in quam videlicet ingrediebatur Saul ad tegendum pedes, &c. 1. Sam. XXIV, 3. seqq. sic de speluncâ Engad-di Kimchi, Genebrardus, Rasche, Coccejus. Ad speluncam Adullam 1. Sam. XXII, 1. refert Bellarminus, Cajetanus, &c. Utramvis amplectaris sententiam, parum aberrabis.

EXPLICATIO VERSUS II.

וּבְקוֹל *voce mea ad Deum clamo:*) h. e. anxie, devotè ardentèque ipsi meam exponò miseriam periculumque extremum. Non enim verosimile, Davidem in ejusmodi angustò locò, circumstante præsertim hoste acriter intentò, multas magnasque ore suò edidisse vociferatio-

nes, verum *vocis* symbolò calidiora cordis exprimuntur suspiria.

וְצַעַקְתִּי *vociferor:*) h. e. ingemisco anxie. Alias **וְצַעַקְתִּי** est *ejulatus clamoresve sonoros edere:* ceu faciebat Thamar vitata, 2. Sam. XIII, 19. item navigantes in extremò vitæ periculò, Jon. I, 5. conf. Psalm. CVII, 13. 19. Hic tamen strepitus hujusmodi sensibilis & externus non necessariò urgendus erit, cum etiam alibi idem verbum de modestiore regis terreni compellatione adhibeatur, 2. Sam. XIX, 29. ubi de Mephibosetho sermo. Confer Psalm. XXII, 6. ad te **וְצַעַקְתִּי** *clamarunt*, & erepti sunt, &c. item Exod. XIV, 15. de clamore Molis, cum ne mutiret quidem.

וּבְקוֹל *voce mea:*) non absque emphasi per anaphoram geminatur hæcce vox, quasi diceret David, nihil præter *VOCEM* sibi nunc esse residuum; *voce* igitur se suâ uti tantò frequentius, &